



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De sententia & re iudicata. Consilium CLV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

conf. 445. an confessioni de dote recepta hoc privilegium competat, & an secuta etiam verâ numeratione ius tacite hypothecæ & prælationis incipiat ex die promissionis, gloss. d. l. *Asiduis*. Quamvis enim lapsis temporibus exceptionis de non numerata dote, mulier certum & irrevocabile privilegium hypothecæ habeat in bonis mariti, & eo respectu etiam creditoribus posterioribus præjudicetur, l. si cui c. *De non num. pec.* gloss. d. l. *Asiduis*; non præjudicatur tamen quoad ius prælationis, si constante matrimonio confessio mariti de recepta dote emanavit, late *Did. covar. Var. resol. lib. 1. cap. 7.*

Quanto igitur minus dubitandum, quia nullum huiusmodi privilegium competat mulieri, quæ de dote dumtaxat cavet & promittit de implemento enim prius ipsa docere debet, quam propter implementum agere, l. *Julianus §. offerri De act. empti*;

Cum peritio donationis propter nuptias, seu sponsalitia largitas à receptione dotis dependeat; sic ut hæc consideratione exceptio non numeratæ dotis sit perpetua adversus agentem, propter promissionem dotis, de cuius implemento non constat. Neque enim ulla in actis extat scriptura aut documentum, unde præsumptio solutæ dotis duci possit: quinimò instrumentum transactionis inter Ream & fratrem prioris sui mariti præsumptionem adfert potius in contrarium de dote non soluta: nam præter quàm quod continet promissionem de futuro, illius quoque apertam significationem facit, patrem Domine Gertrudis eo tempore nondum solvisse totam dotem, quam priori ejus marito addixerat, ut idem perinde ac forte magis prælive sit, præsumere dotem potius non esse solutam, quàm solutam: Quid enim vetat eandem moras & in hoc matrimonio fuisse injectas?

15 Illud porro admonemus, in actis præsupponi consuetudinem, quod in Germania etiam bona feudalia inter nobiles, pro dotalicio lucro & tacite & expresse obligari possint, ex qua etiam factum putamus, quod communi calculo tam Hallenses Scabini, quàm Consilij Saxonici ac Doctores Lipsienses Domine Gertrudi ius hypothecæ in castro de Attensleben attribuerint, & omnes cum privilegio prælationis; licet hi simpliciter, illi cum numeratio probata fuerit: de qua consuetudine idcirco Illustrissimus Dominus Archiepiscopus & Clarissimi Domini Consilij religionem suam instruere debebunt. Alioqui sanè ea cessante ne juri quidem hypothecæ, multò minus cum jure prælationis, dictæ Domine Gertrudi tribuendum esse putaremus: communi enim opinione adversus Bartolum, in l. si constante d. *Soluta matrim. in 3. quasi.* receptum est, neque expresse neque tacite pro dotis restitutione, & sic multò minus pro dotalicio lucro bona mariti feudalia esse obligata, Ioan. Imola in d. l. si constante & ibi Lud. Rom. Ioan. Crocus nu. 136. & Baldus Novellus nu. 7. *Lafr. in l. fin. nu. 64. C. De iure emphyt. Ant. Negusantius in tract. de pign. 2. parte princ. secundo membro nu. 43.* quia feuda ut alienari, ita quoque obligari & pignori dari prohibentur, c. *Imperialem de prohib. feud. alien. per Fred.*

Postremo hoc à Clarissimis Dominis expendi cupimus, non sine evidenti ratione nos in formula

sententiæ nostræ consuluisse, per sententiâ seu decretum Curie declarandum ac pronuntiandum esse, quod persistendum sit in sententiâ ex consilio Scabinorum Hallensium lata (ita enim accipimus illa Germanica verba, *Crossner vnd publiciert*, hoc est, *aperta & publicata*; quasi viva voce in Curia Dominorum, partibus seu eorum procuratoribus præsentibus, illa sententiâ sit pronuntiata formaliter, aut saltè paucis verbis relatione ad eam scripturam facta) Potest enim Iudex à partibus sententiâ latam obturbantibus interpellatus, decernere sententiâ latæ acquiescendum, & in ea persistendum, nec cogitur frequenter eadem de re etiam conformiter sententiâ formaliter pronuntiare. Proinde si in intellectu eorum verborum fortè aberramus, hoc est, si non nisi aperta fuit sententiâ Hallensium, & sic partibus sine ulla pronuntiatione exhibita, arbitramur pro his verbis, *quod persistendum sit in sententiâ ex consilio Scabinorum Illustris Hallensis*, substituenda esse hæc verba, *Quemadmodum Domini Scabini Illustris Hallensis etiam pronuntiandum esse consueverunt*. Consultuimus enim eo casu, ut secundum consilium nostrum Domini Consilij formalem sententiâ consiciant in scriptis, & eam vel Illustrissimus Dominus Archiepiscopus, vel aliquis de Concilio ex ipsius mandato & scripti recitatione pronuntiet; verendum alioqui est, ne perpetuò subministretur materia & occasio dicendi de nullitate sententiarum. Ex hæc quidem omnia sub correctione Illustrissimi Domini Archiepiscopi ac eius amplissimi Concilij.

De sententiâ & rejudicata.

S V M M A R I U M.

Sententiæ nullitas ob illius præcipitationem.

1. *Præcipitatio est noverca iustitia.*
2. 4. *Sententiâ nulla est quæ per præcipitationem lata.*
3. *Præcipitatio sententiæ unde presumatur.*
5. *Conclusio in causâ necessaria.*
6. *Citari non debet qui finis ducit.*
7. *Fumus ducere quis dicatur.*
8. *Probrum more civilis accipitur.*
9. *Interventio illius cuius interest admitti debet.*
10. *Fideiussores conventus potest Reum principalem exhibere.*
11. *Hæres fideiussores desuncti ante celebratas exequias in ius trahi non debet.*

C O N S I L I U M C L V.

P R O V E R B I U M est, catulum festinantem cæcos parere catulos: id quod evenisse evidenter percipitur in prolatione sententiæ, quam nuper duo ex tribus conjunctim à Sede Apostolica deputatis iudicibus tulerunt inter Reverendum Dominum Abbatem Lichternacensem Præpositum in Merseburgi Actorem, & Laurentium Remigij Reum, † quippe præcipitatio iudicij aciem perstringit, mentisque cæcitatem inducit; cum ex iniquitatis fonte progrediatur omnis præcipitatio, c. *Inter hæc 1. vers. lenta virtus De parit. dist. 3.* Vnde etiam est, quod in his actibus, qui ex legis præscripto maturitatem iudicij seu consilij, & antecedentem deliberationem requi-

runt

rōnt (qualis procul dubio essententia in iudicijs dictio & pronuntiatio, l. 2. c. De sent. ex brev. rectum.) precipitatio & nimia festinatio, pro docto presunto & everfione iustitiæ habeatur, & precipitatio iudicantis noverca iustitiæ dicatur, Clem. Pastoralis §. verum De sent. & re judic. Ut enim noverca in privignos plerumque favere solet; ita precipitantis iudicis voluntas in iustitiam, juxta illud,

Gaudet in afflitos favere noverca potestas,
ut id latius prosequitur Felsius, in c. Ecclesia S. Ma-

ria nu. 35 De consir. * Vnde & in jure receptum est, quod sententia per precipitationem lata sit ipso iure nulla; quia nimirum censetur & presumitur sine cognitione & deliberatione lata, Bart. in l. volatam in fin. Cod. De sent. & interloc. & in l. ex stipulat. C. cod. tit. Sebast. Vant. De nullitat. sent. ex defectu processus nu. 30. Est enim in dubio pro sententia presumatur & quod cum causæ cognitione iuste sit prolata, l. Alia parte in fine de probat. And. Alciat. de presumpt. regul. 3. c. 10. cessat tamen ea presumptio, ubi precipitatio & cæca festinatio intercurrit, lafon in l. 2. nu. 15. C. De edendo.

3 Quæ precipitatio indubitate probatur ex brevitate temporis, quod inter peroratam seu conclusam causam, & tempus latæ sententiæ intercedit, vel lapsum est ab eo, quo acta ad manus iudicis posita sunt; ita ut non sit verosimile intra illud iudicem potuisse cum aliqua maturitate acta legisse aut expendisse, & cuncta, quæ in illa obversantur, rimatum ac ruminatum esse. Quæ temporis brevitatis aperte deprehenditur in expeditione sententiæ, de cuius nullitate nunc agitur: quippe hoc ex actorum inspectione constat, hanc causam nunquam rite conclusam fuisse, & non conclusam delatam ad Iurisperitos pro instructione Dom. Deputatorum: quibus Iurisperitis relictum non fuit idoneum tempus ad huiusmodi acta utriusque causæ (quæ magna sunt) legenda, multo minus excutienda, sed (ut festinanti brevissima mora longa) precipitationem suam occultare non valentes huius sententiæ auctores, acta dictis Iurisperitis sine ulla relatione aut instructione eripuerunt, nihilque veriti sunt (ut cæca cupiditas & festinatio verecundiam non habent) eodem die Petro Remigij, filio dicti Laurentij, jam tunc recenter mortui, diem dicere, non ad hoc tantum, ut sequenti die veniret ad audiendum sententiam definitivam, sed ad hoc quoque, ad audiendum ab ejus parte adversa peti executionem ferendæ huiusmodi sententiæ. Quid quæso hoc est aliud, quam festinare, precipitare, & proruere; imò adhuc plusquam precipitare; hoc est, antè animo concipere sententiam, quam saccus aut volumen actorum aperiatur? Neque enim potest dici dictos Deputatos antea aliquam operam, impendisse legendis vel excutiendis actis; cum post exhibitam partis adversæ ultimam scripturam dictus Laurentius in gravem morbum inciderit, & ex eo etiam septimo deinde die decesserit; ita ut ex investigatione temporis ad oculum deprehendatur, nullum idoneum tempus fuisse vel unius integri diei, quo hæc acta integra legi, multo minus excuti potuerint. Nam dicere, illa fuisse lecta aliquo anteriore tempore, ut non est verosimile, ita &

precipitationis & pronuntiandi contra Laurentium seu ejus filium subministrat argumentum, adeo ut rectè his Iudicibus applicari possit, quod Doctores, Gemm. in c. Ponderet dist. 50. Alex. cons. 123. Scriptis Ecclesiasticis nu. 24. vol. 4. relin in d. c. Ecclesia nu. 35. Sebast. Vant. d. tit. nu. 35. tradunt de Iudicijs, quibus de mane mittitur processus, & de sero seu vespere vel altero die ius ex illo dicunt. Quinimò etiam longius tempus, quod actorum magnitudini non responderet, pro brevi in hoc articulo habetur; usque adeo, ut Innocentius tertius Pontifex, in c. Tum ex literis De res. in integ. reprehenderit prædecessoris sui Eugenij tertij sententiam, in primo mensis sui Pontificatus latam, redarguens eam, quod de causa, de qua ibi agitur, plenè instructus non fuerit, ob brevitate temporis;

* nam inde colligunt Interpretes etiam à Papa 4 vel Imperatore precipitanter, hoc est in brevitate temporis latam sententiam ipso jure esse nullam, Sebast. Vant. d. nu. 35. Multo igitur magis id obtinere debet in inferioribus, & maxime in Iudicijs juris imperitis, qui nec juris ordinem sciunt, nec æquitatis compolitas rationes habent. Vnde etiam fit, ut sæpè sententiæ annullentur, & ijs annullatis partes ad novam ordinariam causæ disceptationem remittantur, quando ex precipitatione nullitatis vitium elucet; † videlicet quod causa non conclusa ad calculum sententiæ Iudices profluerint; conclusio etenim in causa pars iudicij substantialis est, c. Auditis De procurat. c. Pastoralis De causa poss. & propriet. c. cum dilecti, de fide instrum.

Itaque precipitatio, & quæ inde resultat evi- 5 dens nullitas commissa fuit, quando non reportatis omnibus instrumentis, nec facto & signato inventario omnium in causa exhibitorum instrumentorum, dicti deputati Iudices causam calculo sententiæ subiecerunt, nec dicto Petro idoneas aut sufficientes inducias id faciendi concesserunt, sed precipiti festinatione ad id faciendum intra brevissimum tempus cogere voluerunt; tunc præsertim, cum idem Petrus patri mortuo funus duceret & iusta faceret, nec ex more & honestate in publico, multo minus in foro versari aut conspici honestè, imò nec in ius vocari poterat: † in ius enim vocari non potest, qui funus familiæ & multo minus qui funus parentis ducit, hoc est exequias & iusta parentalia facit, l. 2. §. fin. de in iuvocan.

† Id enim Iudicè ad litteram accipiendum non est, 7 de actu dumtaxat ducendi, quando scilicet funus domo effertur, in templo constituitur, & ibi ex more & ritu Christiano exequiæ celebrantur, & orationes canuntur; quasi statim ab his celebratis aut etiam inter tempus sepultura & exequiarum, qui funestus est, & præsertim patrem luget, in ius vocari possit; sed civiliter id accipiendum, primò pro toto illo tempore, quo iusta defuncto fiunt (quæ apud Christianos duplicia sunt, altera in sepeliendo; altera in orando per celebrationes Missarum pro defuncto ex intervallo trium, septem, & triginta dierum, præsertim eo, qui funus ducit & iusta facit, can. Quia alij xii. q. 2.) Nam & in usu vulgi est post celebratas primas exequias, septenarij & tricenarij observatio, sicuti exacto tempore exequiarum ex juris communis dispositione, in auth. Ut cum De appel. cog. §. sancimus itaque coll. 8. glos. laf. & alij

& alij in d. l. 2. in fin. De ius vocan. conceduntur ei, qui iusta facit parenti, liberis, conjugi, agnatis vel cognatis, adhuc novem dies, quibus duranti- bus prohibetur iudicio conveniri aut quoquo mo- do inquietari; ita ut nullum iudicis preceptum ei fieri possit, ne quidem proprii debiti nomine, mul- to minus nomine debiti, quod defunctus contra- xit. Quæ juris prohibitio subiectam etiam habet clausulam decreti irritantis omnia, quæ durante tempore exequiarum & novem dierum sequen- tium judicialiter vel extrajudicialiter facta sunt, d. §. sancimus. *vers. si quis verò:* quod & ita ex con- suetudine ac laudabili more observari credimus per testes dicti Petri sufficienter esse probatum; quod scilicet non liceat quoquo modo in ius voca- re eum, qui intra tempora exequiarum adhuc est; cum more civitatis probrosum & turpe sit ante exitum huiusmodi tempus in publicum pro- dirc: * id enim pro probro & turpi accipiendum, quod ex more civitatis & consuetudine tale reputatur, etiam si alioqui naturaliter probrosum aut turpe non sit, l. Probrum De verb. significat. Ita ut, cum propter religionem & observantiam communem Petrus se loco movere interea non po- tuerit, hoc est in publico vel in foro versari, vel in ius vocari, aut quodcumque preceptum iudicis ei fieri, multo minus eo absente quamvis vocato sententia definitiva proferri, d. l. 2. *vers. nec eos qui, arg. a loco ad tempus ducto, quod in iure non infrequens est, præcis in loco a tempore ad cond. sit & fuerit lata* sententia ipso iure nulla, non aliter quam parte non contumaciter absente lata, l. 1. §. nem D. Quæ sent. sine appell. rescin. l. Eos qui C. Quo modo & quando iudex &c. quia contumaciter abesse &c. non potest, qui vocari non potuit, aut vocatus iudici parere non debuit, l. 3. §. l. D. de re iud. qualis inter alios est, qui defuncto parenti iusta facit, & in primo tempore luctus intra dictos novem ex gratia postea concessos dies adhuc est.

Nec ad rem facit, quod formula sententiæ concep- ta sit magis contra Petrum Moeren tamquam fideiussorem iudicii seu pro iudicato, oblique au- tem adversus Petrum Remigij tamquam contu- macem; quasi exceptio nullitatis ex causa funeris & iustorum defuncti dicto Petro fideiussori pro- desse non debeat: nam in primis inde consurgit aliud vitium nullitatis; tum quod per huiusmodi formulam Petrus pro contumace habeatur, quem constat ex privilegio juris propter exequijs & lu- ctui indultos dies in ius ad resumendam causam cogi vel in contumacia constitui non potuisse; tum quod contra dictum Petrum fideiussorem sen- tentia concepta & pronuntiata sit, qui ipse litem contestatus non fuit, & quem pars agens dereliquit admissa interventione Laurentij tamquam princi- palis debitoris: † prout de iure huiusmodi inter- ventionem admittere debebat; quia ad dictum Laurentium defensionis huius causæ priore loco pertinebat, l. Sæpe vere iud. l. ita tamen §. nunc videmus D. Iud. eam solui; * & fideiussor ex iure bene- ficiu habet ordinis aut saltem exhibendi Ream principalem, ut cum eo actor agit, *auth. præsentem C. De fideiuss.* etiam si se obligaverit ut principalem, Ioan. de error. in præf. sua in forma libelli contra plures reos in verb. beneficio novatum nu. 3. Guido v. papa de ius.

§ 70. *vers. sed quid si fideiussor, expressus textus in d. §. sancimus. †* Deinde beneficiu hoc novi juris de non conveniendo hærede defuncti ante lapsa tem- pora exequiarum & novem dierum, perinde com- petit fideiussori defuncti, ut illius hæredi. Quæ juris constitutio cum sit aperta nec ullâ contrariâ consuetudine abrogata, & præterea fundetur in summa æquitatis, civilitatis, & benignitatis ra- tione, & quidem adversus expressam crudelitatem tam iudicis quam creditoris, sic quod Iustinianus aperte testetur, in d. §. sancimus, se ex humanitatis ratione huiusmodi crudelitatem per suam consti- tutionem coercere; nulla ratione dissimulari aut conniventibus oculis ex incerta & vaga aliqua æquitatis ratione præteriri possunt, sed ex aperta juris luce annullari debent, quæcumque contra illam adversus dictum Petrum acta sunt, sive per citationem ad resumendam causam, sive per sen- tentiam definitivam tanta præcipitatione latam, ut manibus etiam palpari possit illius nullitas, & inde adversus ejus auctores verus dolus.

De sententia & re iudicata.

SUMMARIUM.

Sententiæ tres conformes executioni man- dandæ etiam obijciatur nullitas.

1. Executionem trium sententiarum conformium qui im- pedis calumniari præsumitur.
2. Sententiæ tres in parte conformes easdem executioni mandanda.
3. Sententiæ ut conformes sint, nihil impedit una con- trariam intervenire.
4. Rescriptum ex suppressione quando vitium.
5. Appellans exhibere debet acta.
6. Sententiarum trium conformium oppugnationem sine executione iudex admittere non debet.
7. Sententiarum trium conformium executio peti potest etiam post admissam nullitatis objectionem.
8. Sententiarum nullitas post executionem proponi potest.

CONSILIUM CLVI.

APERTA est juris dispositio, *Clemens. 1. de sentent. & re iudic.* quod nemo audia- tur in propositione nullitatis adversus sententiam ad revocandam executio- nem iudicati, qui tres conformes sententias contra se in quavis causa tam profana, quam Ecclesiastica in iudicio sive potestatorio sive pe- titorio reportavit; nisi huiusmodi tres conformes sententiæ sint plenarie executioni mandata.

† Quippe præsumitur calumniari, qui prætex- tu nullitatis conatur remorari illarum executio- nem, *arg. c. Suscitata de rescript. in integ. Bonif. De Vi- tal. in d. Clem. 1. nu. 7. & Card. Zabarella nu. 1.* etiam tunc, cum ante tertiam confirmatoriam de nulli- tate obiectum fuit; imò etiam si ante tertiam conformem una media intercesserit, primæ vel se- cundæ sententiæ etiam ex causa nullitatis revoca- toria, *Rota decis. 424.* Nota quidam obtrinit, alias est 14. de sent. & re iud. in antiq. Proinde Venerabilem Dominum Decanum movere non debent, quæ pro parte D. Ioannis Harve se executioni trium sen- tentiarum succellivæ pro Impetrantibus huius cau- se latarum opponentis, partem contra rescriptum Apostoli-